

Atque hic est creationis conceptus, qui apud Philosophos et Theologos christianos per plura sæcula invaluit. Mirandum porro vehementer foret, tot tantaque Ecclesiæ lumina tamdiu veram creationis rationem ignorasse.

Instabis 3.^o Sed nonne tanta virtus requiritur ad educationem hoc modo explicatam, quanta ad veram creationem? Subjectum enim præsuppositum, ex cuius potentia educi forma dicitur, revera causam hujus efficientem non juvat. Ergo ad educationes formarum peripateticas virtus altior et potentior naturali quaerenda erit.

Resp. neg. instantiam. Ad probationem *dist. ant.* Non juvat augendo virtutem ipsius, *conc.*; sustentando ejus actionem et fundamentum præbendo, *neg.* «Nam licet subjectum non cœfficiat, nec vires agentis augeat in genere causæ activæ, vere tamen adjuvat in genere fundamenti, sine quo nihil efficeret causa creata; sicut nihil efficeret architectus sine fundamento, quo domum superstrueret, vel sine materia, in quam induceret formam domus. Hoc autem fundamento non indiget virtus creativa, quæ, utpote infinita, sine ullo fulero aut sustentaculo præsupposito operari valet» (1).

Instabis 4.^o Atqui exposita formæ productio ipsam penitus rationem educationis pessumdat. Nam educio est actio ex præsupposito subjecto. Atqui juxta nostram explicationem forma non fit ex materia, sed potius in materia. Ergo...

Resp. neg. subsumptam Minorem. Et probationis *dist.* Major. Educio est actio ex præsupposito subjecto, intellecta vulgari modo *neg.*; philosophico, *conc.*

Et *contradist.* Minorem. Audi Aquinatem: *Id quod fit non est forma, sed compositum, quod ex materia fit, et non ex nihilo. Et fit quidem ex materia, in quantum materia est in potentia ad ipsum compositum, per hoc quod est in potentia ad formam. Et sic non proprie dicitur, quod forma fiat in materia, sed magis quod de materia potentia educatur* (2). Nam quamvis «educi, scribit P. Ludovicus Lossada in sensu vulgari significet *extractionem* rei præexistentis et alicubi latentis; at in sensu philosophico non id significat, sed veram *productionem*

(1) Lossada, Op. cit., tr. 1, disp. 4, cap. 3, n. 35.

(2) S. Thom., de *Potent.*, quæst. 3, art. 8.

rei dependentes a causa materiali non constitutiva. Sic *producere* apud Philosophos proprie significat *dare esse*; cum tamen apud vulgus aliter significet, ut cum quis dicitur producere testes aut copias. Est ergo formam educi, poni extra potentiam passivam materiæ: non ita, ut a materia separetur, cum potius ei intrinsece inhæreat; sed, ita, ut actualiter accipiat *esse* per actionem a materia pendentem, vi cuius actionis potentia passiva materiæ reducitur in actum sive exercitium. Sic effectum produci idem est, ac poni extra causam efficientem, non quod intra illam præxiterit, sed quia producitur per actionem, vi cuius reducitur ad actum potentia activa causæ efficientis» (1). Sed hæc satis patere videntur ex declaratione, quam suo loco præmisimus actionis educitivæ.

Alias difficultates adversus argumenta, quibus probatur a nonnullis recentioribus peripateticum systema, fieri solitas, dissolvi a nobis in hoc loco necesse non est.

ARTICULUS VI.

De unione materiæ ac formæ.

160. Corpus non coalescit ex materia et forma nisi unitis: complementum itaque hujus tractationis postulat, ut postquam materiam et formam singillatim tum quoad existentiam, tum quoad essentiam ac proprietates, consideravimus, earum nunc unionem atque ad totum compositum corporeum constituendum coagmentationem contemplerur. Hujus sane unionis accurata cognitio res est haud exigui ponderis ac momenti, cum exinde pendeat intelligentia unionis animæ cum corpore humano, prout clarius in suo loco patebit.

§ I.—NOTIO ET DIVISIONES UNIONIS.

Unio generatim est vinculum et nexum seu ligamen duorum aut plurium; eoque natura sua tendit, ut ex multis

Quid unio generatim,

(1) Lossada, loc. nup. cit., n. 33.

et quotuplex. extremis seu partibus unum quiddam componat. Potest esse moralis et physica. Unio moralis minime necit ipsam realem et physicam extremorum entitatem, sed vel desumitur ex metaphorica voluntatum affectuumque copulatione, vel ex unitate finis et scopi, ad quem plura conspirant, vel principii unde fluunt, vel generatim ex comparatione unius alicujus objecti, quod illa, licet inter se diversa, simili tamen modo respiciunt. Hac ratione amicos vinculum amicitiae, societates communitas conspiratioque studiorum arctissime connectit: hoc modo una familia ratione capitis, unum regnum ratione unius praesidis atque earumdem legum, una demum fides totius Ecclesiae dicitur ratione ejusdem objecti tum materialis tum formalis. Unio autem materiam inter et formam non est ejusmodi, sed physica.

Unio physica partes et membra diversa secundum realem entitatem et per physicum contactum conjungit. Et potest esse vel *intrinsicæ* vel mere *extrinsicæ* et localis, qualis habetur in corporibus contiguis, v. g. in acervo lapidum, et in plurimis artefactis. In omnibus istis unionibus, sola excepta intrinsicæ, illud quod ex pluribus congregatis coalescit, revera physice unum non est, sed plura actu inter se secundum ipsam entitatem divisa.

Unio physica: Physica ergo unio intrinsicæ est ea, vi cujus plura extrema communi ligantur vinculo, ut unum physice individuum efficiant: dividiturque in *accidentalem* et *substantialem*. Accidentalis est, quæ inter accidentia vel inter substantiam et et accidens; substantialis, quæ viget inter partes substantiales in unam ceuõntes substantiam. Et substantialis alia dicitur *continuitatis*, alia *compositionis*.

Unio continuitatis est illa, vi cujus partes integrantes substantiam, invicem continentur. Unio denique *compositionis* appellatur, quæ vel naturam vel suppositum constituit: unde duplex distinguitur, altera *naturalis*, *personalis* altera. Unio personalis seu hypostatica est ea, per quam natura plena et integra secundum essentiam existit. Denique ipsa hæc unio adhuc duplex distingui potest: altera *mixtionis*, altera *propria actus et potentiae*.

Unio inter materiam et formam unio est naturalis compositionis, non tamen instar mixtionis, quemadmodum ex

Inter materiam et formam existit unio propria

hactenus disputatis facile derivatur; sed instar unionis actus et potentiae. Quam necesse est nunc aliquo modo declarare; quamquam fateor rem esse captu difficillimam, utpote penitus a sensibus abstractam, ac procul extra imaginationis nostræ confinia positam.

actus et potentiae.

§ II.—EXPLICATUR UNIO MATERIE ET FORMÆ.

161. Quid ergo est unio hæc naturalis vel substantialis compositionis, quæ materiam inter ac formam viget? Primum debemus hanc unionem concipere tamquam aliquid, vi cujus duo extrema distincta mutuam præsentiam ita exigunt, ut ubicumque sit unum, et alterum esse debeat, et quocumque unum localiter moveatur, et alterum pariter moveri necesse sit, donec unio illa præcidatur. Hujus rei exempla quædam rudia nobis suppeditant artificiales, quos passim cernimus, diversarum partium nexus et commissuræ, cujuslibet opificii fabricam vincientes ac continentes. Verum multo luculentius prostat exemplum in Eucharistiæ atque Incarnationis venerandis mysteriis, quæ tamquam verissima certissimaque, quod Philosophi christiani officium est, nunc supponimus. Ex Tridentini enim Concilii doctrina, totus quidem et *integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius specie parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus existit, ita tamen ut semper hæc fides in Ecclesia Dei fuerit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus verumque ejus Sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere: sed Corpus quidem sub specie panis, et Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter mirabilem illam ejus cum Corpore et Anima hypostaticam unionem* (1).

Deinde naturalem hanc unionem concipere debemus instar intimæ communicationis suarum entitatum, per quam

Unio importat intimam unionem præsentiam.

2 * Unio importat mutuam com-

(1) Concil. Trident. sess. 13, de Eucharist. c. 3.

communicationem
propriam esse

materia et forma ita se pervadunt mutuo, ut forma se penitus insinuet materiæ, materia formam veluti gremio suo recipiat, arcteq̃ complectatur; forma materiam perficiat, actuet, transmutet atque intime afficiat in sua entitate, materia vero se perficiendam et complendam præbeat, unde jam ratione formæ desinat esse ens potentiæ ac dimidiatum, habeatque naturale complementum, ut possit existere. Quapropter, quemadmodum ea, quæ in eodem spatio versantur, non habent distincta loca, sic etiam materia et forma, quia se per mutuam communicationem entitatis propriæ sociarunt, jam non habent singulares suas realitates præcisas, sed in unum redactas, ut jam substantia inde resultans non sit materia nec forma, sed materia *informata* seu *transformata*, et forma *materializata* quodammodo, nimirum substantia ex utraque composita: neque enim ulla potest assignari particula materiæ, que non sit actuata, et substantialiter affecta, atque specificata per formam. Hanc arcissimam communicationem, ex qua una substantia essentialiter composita coalescit, ipsa nobis experientia liquido videtur demonstrare. Quamquam enim illico pateat intuitibus *integralis* corporum omnium compositio, seu distinctio partium molem ipsam efficientium; compositio vero essentialis adeo a sensibus est remota, ut nisi attente contempleretur transmutationes corporum substantiales, vix possent mens sibi persuadere substantias corporeas, quæ tantam præ se ferunt unitatem, non esse simplices secundum essentialiam, sed ex duplici principio realiter distincto coalescentes. Sed cum passim videamus materiam transformari, et quod modo est sub actu et in specie oxygenii v. g. vel hydrogenii, modo esse sub actu et in specie aquæ; concludimus profecto subjectum illud, quantumvis perfectissime *unum* in essentialia, et secundum omnes vel minutissimas partes ad speciem oxygenii pertinens, non tamen secum *identificare* essentialiter actum oxygenii, sed ex se esse *puram potentiam*, ut sit oxygenium vel aqua per intimam junctionem et actionem formæ, quæ speciem tandem imprimat oxygenii vel aquæ. Atque hinc ulterius sequitur, substantiam illam, quæ simplex videbatur nullumque præbebat, quamdiu durabat, dualitatis atque essentialis compositionis signum, revera compositam

esse ex quadam potentia physica et actu, nec ita in unum coalescere potuisse, nisi ex substantiali coagmentatione duplicis principij, potentialis et actualis.

Ex hac intima communicatione, quæ unam compositam substantiam conflatur, novæ proprietates ac vires fiorescunt, non singulis componentibus seorsum convenientes, sed utriusque conjunctim communes; novumque proinde operationum communium enascitur principium. Cum enim proprietates fluant ex essentialia, operationesque sequantur ipsam rei substantiam, unaque sit communis ex materia et forma in composito substantia, communes proinde sint proprietates atque operationes, oportet; quamquam, sicut forma est principium specificæ distinctionis in corporibus, ita sit etiam radix diversitatis proprietatum atque operationum pro specierum ipsarum varietate. Tota hæc doctrina nullibi melius patescit, quam in viventibus, et potissimum in homine. Vide quantopere transformetur materia hominis per animam, quæ forma ejus est. Eadem materia, quæ in morte ac dissolutione compositi humani, tam horrida nobis turpisque apparet, dum per innumeras vicissitudines ac transmutationis resolvitur, eadem ipsissima, per animam actuata, in formosissimam speciem humani corporis figuratur, vivificatur, vegetat, sentit, movetur; anima vero vivificat materiam, et vegetationem, sensum ac motum localem in ea et per eam ita efficit ut, licet in se immaterialis atque spiritualis, ratione tamen materiæ jam obnoxia sit corporeis impressionibus, et vere languorem, defatigationem, ægritudinem, membrorum amputationem, calorem, frigus cæterasque affectiones materiales ut *suas* penitus experiatur, ac sentiat. Jam neque materia nisi ratione animæ, qua actuatur, nec anima nisi *cum* et *in* materia, quam informat, ullam ex prædictis proprietatibus atque operationibus habere potest, ut manifestum est. Nec concipi valet, quomodo competat omnia illa homini, nisi anima et materia, quibus constat, se penitus secundum proprium *esse* communicent, ac substantialiter afficiant. Lege Aquinatam statim citandum.

Quæ cum ita sint facile cognosces discrimen inter actionem, quæ est causalitas causæ efficientis, et unionem, quæ est materiæ ac formæ causalitas. Nam actio ita est causalitas

3.^{US} Unio
substantialis
fons novarum
proprietatum
atque
operationum
communium.

Discrimen
inter actionem
causæ

efficientis
et unionem.

causæ efficientis, ut agens quatenus agens est, omnino maneat extra effectum, eumque actus ac producat, virtutem suam extrinsecus communicando; unde realis atque adæquata distinctio intercedit inter causam efficientem ejusque effectum. At vero unio ita est causalitas, ut forma per seipsam et in sua propria substantialitate se communicet materiæ, et materia formæ, se ipsas mutuo et intrinsece præbendo; atque hoc modo producant effectum intra ipsum manentes: effectus enim est ipsum compositum, id est, ipsæ causæ, materialis et formalis, invicem unitæ (1). Quare ejusmodi causæ, singillatim spectatæ, differunt quidem *realtè*, sed solum *inadæquate* a suo effectu, nimirum velut inclusum differt ab includente, vel pars a toto.

Dices. Forma videtur active se habere ad sui communicationem respectu materiæ. Nam ex communi loquendi modo anima dicitur *animare*, *vivificare* corpus, et similiter omnis forma *informat* materiam. Item materia dicitur formam recipere. Atqui hæc verba quamdam profecto actionem sonant. Ergo unio formæ ac materiæ videtur in quadam actione mutua earumdem consistere.—*Resp. neg.* assert., et ad probat. *neg.* conseq. Nam verba illa quamvis grammaticaliter activa sint, philosophice tamen non exprimunt ullam actionem, quæ a forma in materiam, vel vicissim, exercentur, sed mutuam dumtaxat communicationem per modum actus et potentiæ, per operationem causæ efficientis.

Ex dictis etiam facile intelligitur, quomodo compositum ex materia et forma est vere *unum per se* substantiale. Quemadmodum enim observat Eximius Doctor (2), cum *unum* sequatur *ens*; illud est per se unum, quod est ens per se. Ens autem per se illud est, quod habet in suo genere integram et completam essentiam. Jam vero nec materia nec forma sunt in genere substantiæ completæ, quia materia de se est tantum potentia *physica* capax, ut per *actum* sibi impressum efficiat substantiam completam, corpus; et forma est actus ille materiam constituens in ratione corporis. Unde utrius indiget

(1) Vide Suarez (disp. *Metaph.* 15, sect. 6, n. 7). Cfr. S. Thom.

(2) *Contr. Gent.*, c. 68. *Ad hoc enim...*

(2) Disp. *Metaph.* 4, sect. 3, n. 8.

4.^o Ex materia
et forma fit vere
unum per se.

alterius complemento, ut sint ens completum in genere substantiæ. Si ergo conjungantur, existet ens per se, ac proinde *unum per se*, seu *indivisum*, utpote resultans ex unione entitatum substantialium dimidiatarum atque imperfectarum, quæ natura sua ordinantur, ut mutuo se perficiant instar potentiæ et actus sibi proportionati. Atque hæc causa est, cur Aristoteles docuerit (1), quærendum non esse, an unum sint anima et corpus, et generatim forma et materia; cum enim se mutuo indigeant, et naturaliter perficiant ad ens completum constituendum, et natura entia completa requirant, habent materia et forma ingenitum sibi appetitum, ut in unum coalescant. Et præterea etiam nihil medium opus est ad materiam et formam invicem uniendo eo modo, quem mox magis declarabimus: medium enim ejusmodi solummodo desiderari potest, ubi extrema diversa penitus sunt inter se, nullamque servant proportionem atque ordinationem naturalem ad unionem. Audi Angelicum: *Forma unius materiae absque omni medio; per se enim competit formæ, quod sit actus corporis, et non per aliquid aliud: unde nec est aliquid unum faciens ex materia et forma, nisi agens quod potentiam reducit ad actum.... Nam materia et forma se habent, ut potentia et actus* (2).

Hujusmodi unitatem per se atomistæ nequeunt explicare, eamque corporibus denegant, et solis tribuunt substantiis, tum essentialiter tum integraliter simplicibus. Et ratio est planissima; cum enim secundum atomistas corpora coalescant ex corpusculorum aggregatione, nullam physicam et substantialem unionem habentium; non aliam in eis majorem unitatem agnoscere possunt, quam eam, quæ intercedere potest inter entia actu plura et individua, natura tamen sua ordinata, ut in unam communem operationem conspirent. Quæ certe unitas non est intrinseca et substantialis, sed prorsus extrinseca; non unitas, quæ in ipsorum operantium entitate existit, sed quæ solum est in eorum effectu aut fine. Unde non satis intelligitur, quænam major unitas sit in corporibus

Atomistæ
nequeunt ullam
veri nominis
unionem
intrinsecam
admittere

(1) 2.^o *de Anima*, cap. 1. Cfr. S. Th. ib. lect. 1 § h.

(2) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 71. Cfr. *Metaph.* lib. 8, lect. 5, fin. cum Aristotele ibid.

ex hac doctrina, quam in machina qualibet affabre facta: machina enim non minus est plurium partium actu separatarum et individualium complexus, quæ in unam communem operationem collatis viribus tendunt. Neque alia sane videtur in hoc assignari posse differentia, nisi quod atomi ex naturæ ipsius instituto, partes vero machinæ solum ex artis directione, conspirationem illam in unum effectum nanciscantur.

Discrimen
inter unionem
hypostaticam
et naturalem
modo expositam.

Disces hinc etiam, quantum intersit hanc inter unionem naturalem et hypostaticam. In hac enim licet sit unum suppositum, quod operatur in duplici natura, at vero naturæ ipsæ, cum non sint in se confusæ, nec substantiam unam efficiant, retinent suas quæque operationes singulatim proprias, ut fit in composito *theandrico*, Christo Domino, in quo est unum suppositum cum duplici natura, divina et humana, operationes eliciens proprias Dei et hominis. At vero unio hæc naturalis naturam unam constituit. Præterea unio hæc intercedit inter extrema se mutuo pericientia: secus autem unio hypostatica, in qua licet Verbum quidem perficit humanam Christi naturam, non tamen vicissim humana natura perficit Verbum.

item que
inter
compositum
naturale
et artificiale

Patet denique, quantum distet artificiale compositum a naturali. In illo enim, sive partes ipsæ componentes uniantur inter se, sive secus, semper actu eadem remanent, quæ prius erant. Itaque compositum ejusmodi nequit constituere unum ens per se, sed per accidens tantummodo; quatenus ejus partes vel una certa figura donantur, vel in unum rediguntur ordinem, vel ad eundem finem et communem operationem collineant. Ex quo etiam illud consequitur, in artificiali composito non aliam novam esse activitatem præter componentium activitatem. Sicut enim artificium, ipsas partium substantias inalteratas in se relinquit; ita etiam nullas addere toti vires potest, sed eas tantummodo componere, temperare ac dirigere, ut motus edant diversimode ordinatos. Id quod in quavis vel potentissima artificiosissimaque machina cernere facile potes, quæ non aliter stupenda illa præstat officia, nisi per vires naturales partium suarum in unum collectas, et certo quodam modo applicatas invicemque sociatas, prout magis patebit inferius.

§ III.—IN QUO SITA SIT UNIO MATERIÆ AC FORMÆ.

162. Ex hactenus dictis colligi videtur unionem formæ ac materiæ esse inhærentiam quamdam formæ substantialis materiæ per actionem atque informationem. Verum si jam subtilius quæras, quid tandem sit in re ipsa unio ista, unde una resultat substantia et natura cum communibus proprietatibus atque operationibus; per sequentes propositiones respondebo.

PROPOSITIO 1.^A Unio materiæ ac formæ non potest in eo consistere, quod illæ vires suas in unum conferant.

Prob. 1.^o Etenim collatio hæc virium efficere quidem posset, ut unus inde prodiret effectus et communis terminus actionis; minime vero ut una resultet inde substantia seu natura, donec ponatur unio ipsam substantialem entitatem componentium pertingens. Ad rem S. Thomas: *Impossibile est, quod eorum quæ sunt diversa secundum esse, sit operatio una. Dico autem operationem unam, non ex parte ejus, in quod terminatur actio, sed secundum quod egreditur ab agente. Multi enim trahentes navim, unam actionem faciunt ex parte operati, quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multe actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum. Cum enim actio consequatur formam et virtutem, oportet, quorum sunt diversæ formæ et virtutes, esse et actiones diversas* (1).

Unio
materiæ ac
formæ non
consistit in eo
quod illæ vires
suas in unum
conferant.

Prob. 2.^o Hinc si sola virium in unum collatio sufficeret ad unionem materiæ cum forma explicandam, duo equi currum trahentes, et generatim plura agentia in unum opus conspirantia, compositum quoddam substantiale possent efficere, quale resultat ex forma et materia. Quod certe nimis est absonum, ut mereatur refutari.

Prob. 3.^o Accedit, quod ut superius vidimus, materiæ ex se nullæ sint vires, cum sit pura potentia, forma vero sit radix prima totius activitatis.

(1) Lib. 2. *Contr. Gent.*, c. 57, paulo post initium.

163. PROPOSITIO 2.^a Unio hæc non consistit in simultanea existentia materiæ ac formæ in eodem tempore.

nec
in simultanea
existentia
in eodem
tempore

Id patet vel ex ea simplici ratione, quod materia prima et forma hominis mortui adhuc permanent, et sibi cœexistunt, et tamen unio earum est abrupta, in cuius unionis dissolutione posita mors homini est.

164. PROPOSITIO 3.^a Unio inter materiam et formam non consistit in simultanea earum existentia in eodem loco, seu in compenetratione.

vel loco

Prob. 1.^o Si unio consisteret in compenetratione formæ cum materia, casu quo corpus A compenetraretur per divinam virtutem cum corpore B, forma substantialis corporis A etiam uniretur substantialiter cum materia prima corporis B, et vice versa. Atqui absurdum id esse patet.

Major constat, quia corpora penetrari nequeunt, quin simul formæ ac materiæ ipsorum compenentrentur.

Minor autem probatur: α) secus enim forma corporis A et materia corporis B unum idemque corpus efficerent, et vicissim forma corporis B et materia corporis A. Itaque duo illa corpora in compenetratione substantialiter atque entitative mutata fuissent. β) Exinde sequeretur animam Christi Domini nascentis, resurgentis, clausasque cœnaculi januas pervadentis unitam substantialiter fuisse cum materia prima claustris virginis, lapidis sepulchri et januæ cœnaculi. γ) Item ex illa doctrina consequeretur, angelos, cum assumunt corpora, et Deum ipsum, qui præsens intime est materiæ primæ corporum omnium, uniri substantialiter, quod certe vel cogitare nefas et horrendum est.

2.^o Præterea, ut modo notabamus, unio efficit, ut ea quæ sunt conjuncta, exigant sibi mutuo præsentia esse in eodem loco. Jam vero quæ compenetrata dumtaxat sunt, nondum habent ex eo solum exigentiam ac necessitatem permanendi in eodem loco, ut si quis unum eorum alio abducat, et alterum sequi debeat.

165. PROPOSITIO 4.^a Unio substantialis materiæ et formæ non consistit in dispositionibus materiæ ad formam, quemadmodum nonnulli dixerunt.

Et probatur, quia stare possunt omnes illæ dispositiones quin tamen unitæ sint materia et forma. Atqui stante unione materiæ et formæ, non possunt illæ non esse unitæ. Ergo unio sita non est in illis dispositionibus, Major probatur. Nam non magis repugnat materiæ proxime ad formam dispositæ formam non infundi, quam causam secundam necessariam, positis omnibus ad agendum prærequisitis, non agere. Sed hoc secundum non repugnat, saltem per omnipotentiam divinam, ut jam superius vidimus. Ergo neque primum.

neque in
dispositionibus
materiæ
ad formam
recipiendam;

Notare autem debes sensum trium harum assertionum exclusivum minime esse. Non enim contendimus nihil horum ad unionem requiri, quum potius omnia hæc unioni substantiali inesse oporteat: id unum ergo volumus, nihil horum, immo vero nec tria illa, ad unionem materiæ formæque declarandam sufficere. Quid igitur præterea adjungendum est? Quidam reponunt addendum esse Dei decretum præcipientis compositum existere, in eoque decreto unionem sitam esse.

166. PROPOSITIO 5.^a Id quod formaliter constituit materiæ ac formæ unionem, non est divinum decretum de compositi existentia.

Nam decretum hujusmodi potius esset considerandum velut causa efficiens unionem, non vero ut ratio ejusdem formalis. Deinde istud decretum est aliquid divinum, æternum, ipsisque componentibus et composito extrinsecum. Præterquam quod eodem pariter jure dicendum esset actionem, passionem, motum aliaque similia in divino decreto consistere. Itaque alii putant unionem substantialem consistere in entitate quadam absoluta, quæ vinculum sit materiam formamque mutuo vinciens: fere sicut in artefactis glutine aliave mediâ substantia copulari corpora solent invicem.

nec in divino
decreto
de compositi
existentia;

167. PROPOSITIO 6.^a Unio non consistit in aliqua entitate absoluta, quæ materiam inter et formam mediet.

ec in aliqua
entitate media
absoluta;

Et ratio est, quia forma immediate, nulloque alia tercio interjecto ente, materiam informat, et actuat. Atqui eo ipso jam materiæ unitur. Ergo... Præterea inutilis prorsus esset ejusmodi entitas ad copulandam formam cum materia. Hæc namque cum inter se comparentur per modum actus et potentiæ, jam per seipsas justam habent proportionem ad unionem peragendam. Neque vero ulla inest talis entitatis adventitiæ necessitas. Si enim fingatur non posse materiam cum forma uniri, quin prius uniantur cum illo communi vinculo, quæro, quomodo illæ cum hoc connectantur, immediate, an mediate. Si immediate, potuerunt et materia et forma pari ratione inter sese copulari: si mediate, alia nova entitas requirenda erit, et sic abibitur in infinitum. Verissime igitur scripsit S. Thomas, Aristotelis secutus vestigia: *Unde simile est querere, quæ est causa rei, et quæ est causa, quod illa res sit una, quia unumquodque, in quantum est, unum est: et potentia et actus quodammodo unum sunt. Quod enim est in potentia, fit in actu, et sic non oportet ea uniri per aliquod vinculum, sicut ea, quæ sunt penitus diversa. Unde nulla causa est faciens unum ea, quæ sunt composita ex materia et forma, nisi quod movet potentiam in actum* (1). Quibus affinia sunt hæc alia Doctoris Angelici verba: *In unione humanæ naturæ ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura conjungatur, quam divinæ personæ; sicut inter materiam et formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis* (2).

Nec potest in contrarium produci similitudo et exemplum artefactorum. In his enim in primis unio est valde accidentalis; et nexus ad extrema vincienda ideo in alio extraneo corpore queritur, quia ipsa extrema sunt in se completæ

(1) In 1. 8. *Metaph.* lect. 5. Cfr. 1 p., quest. 76, art. 7; lib. 2. *Contr. Gent.* cap. 71.

(2) In 3.^o dist. 2, quest. 2, art. 2, sol. 1.^a Cfr. Suar. disp. 15, sect. 6, n. 2.

substantiæ, quæ non habent naturalem atque innatam proportionem et exigentiam talis unionis.

168. PROPOSITIO 7.^a Dicendum videtur unionem esse modum substantialem materiæ ac formæ superadditum.

Hæc sententia plurimos habet assertores, et non paucos etiam adversarios. Eam tenent plures e PP. Prædicatorum Ordine, ut v. g. Bañez et Cabrera apud Complutenses (1), qui etiam eidem adstipulantur, et maxima pars Doctorum Societatis Jesu cum Suarez, Vazquezio, Cardinali Lugone, Arriaga, Compton, Sylvestro Mauro, Soarez lusitano, Ulloa, Hurtado, Lossada Semery, Rhodes, De Benedictis aliisque (2). Et pro eadem, puto, laudari possunt DD. Scotistæ, si quæstio ita in genere proponatur; nam in ratione modum illum explicandi major est sententiarum diversitas, de quo videri potest Mastrius. Contrariam tamen sententiam sequuntur Nominales et plures Thomistæ cum Card. Cajetano, Antonio Goudin (3), Joanne a S. Thoma (4) et ceteris, quos longum esset referre. Sanctum Thomam utraque pars suum esse, aut certe sibi non adversari, contendit, ut sæpe usu venit in hujusmodi quæstionibus.

sed in modo
aliquo
substantiali.

In hac ergo domestica controversia, proposita sententia nobis magis arridet, quam sequenti suadere possumus argumentatione. Unio est aliquid reale independens a mentis consideratione. Non autem consistit formaliter in simultanea materiæ ac formæ existentia (*Prop. 2.^a*); nec in compenetratione (*Prop. 3.^a*); nec in dispositionibus materiæ ad formam (*Prop. 4.^a*); nec in divino decreto (*Prop. 5.^a*); nec in intermedia aliqua entitate absoluta, per quam mediate tantum inter sese uniantur (*Prop. 6.^a*). Ergo nihil aliud remanet, in quo unio illa possit reponi præter modum aliquem, qui materiam et formam ex sese aptitudinem et proportionem ad mutuum nexum et communicationem habentes, ad eandem actu exercendum determinet.

(1) *Disputat. in Arist. Stagiv. libros Physic.*, disp. 6, quæst. 2.

(2) In lib. *Physicor.* post tractationem materiæ ac formæ, vel ubi agunt de composito corporeo.

(3) *Physic.* prim. pars, disp. 1, quæst. 4, art. 2.

(4) *Physic.* quæst. 6, art. 3.

Modus porro hujusmodi ideo dicitur substantialis, quia cum sit id, quo formaliter substantia composita existit, vere pertinet ad substantialem corporis constitutionem. Ad rem S. Thomas: *Magister Sententiarum posuit, quod Christus in triduo mortis fuit homo, quia credit, quod unio animæ et carnis non esset de ratione hominis, quod est falsum* (1). Et alibi: *Hoc quod facit conjunctum ex anima et corpore esse hominem, non est præter animam et corpus et unionem aliquid positive* (2). Jam quod de animæ humanæ et corporis unione dicitur, intelligi debet de unione cujuslibet formæ ac materiæ.

Quid sit unio quoad rem ipsam.

Quamobrem unio materiæ ac formæ generatim describi potest *formalis et ultima determinatio materiæ ac formæ ad constituendam substantiam completam corpoream*.

169. **Objc. 1.^o** Semel ac supponamus materiam rite dispositam et formam ipsi præsentem intime ac penetratam, seclusa qualibet alia entitativa modali, vera et substantialis aderit unio. **Resp. neg.** assertum. Adhuc enim materia illa et forma non sunt sufficienter et ultimo determinatæ ad substantialis unionis exercitium; et adhuc posset hanc Deus impedire, ut superius (Prob. 4.^a) argumentabamur. Præterea cum Christus Dominus compenetravit se cum virginea carne Deiparæ, anima Infantis divini penetrata erat cum Matris sanctissimæ materia prima, et hæc pariter disposita erat ad formam recipiendam, non tamen substantialiter unita fuit cum illa (3).

Objc. 2.^o Forma immediate informat materiam, cum per seipsam et non per aliud sit actus ipsius substantialis. Atqui materiam informare est illi se unire. Igitur non est admittendus ullus *modus* unionis.

Resp. dist. Major. Forma immediate informat materiam *ut quoad*, conc. *ut quo*, neg. Et eodem modo *dist. probatio-* nem. *Et concessa* Minori, *neg. cons.* Informare seu actuare *ut quoad* est esse id, quod informat. Et hoc modo anima per se ipsam informat, et immediate cum materia unitur: inter

(1) 3 p., q. 50, a. 4.

(2) S. Thom. 3.^o dist. 6, quæst. 1, a. 2, ad 5.^{um} Cfr. ib. quæst. 2, art. 3.

(3) Vide P. Andream Semery, Op. cit., t. 2, disp. 2, quæst. 10, art. 1. Cfr. Lossada, *Physic.*, tract. 1, disp. 6, cap. 1, n. 18.

materiam enim et formam non adest tertia quæpiam entitas, cum qua illæ prius jungantur, quin per proprias suas entitates sese contingant, et mutuo communicent. Informare autem seu actuare *ut quo* est esse exercitium ipsum et actualisationem unionis atque informationis. Quo certe sensu, forma et materia per seipsas, et nullo alio superaddito, non uniuntur. Rem declarat egregie P. Lossada. «Forma unitur materiæ *ut quod*, quia est *id quod* denominatur, et redditur immediate unitum a formali et actuali exercitio unendi: non tamen unitur immediate *ut quo*, sive immediatione actualis exercitii: quia *non identificat secum exercitium istud*. Nec unio, quam adstruimus, proprie mediat. Quia id solum proprie mediare dicitur, quod non sinit extrema sese immediate contingere, sed ea tantum sibimetipsi jungit hinc et inde, ut cum calx mediat inter lapides; vel etiam quod non sinit extrema sese immediate afficere, nec est utriusque unio formalis, sed tantum singularum in se terminat unionem: quomodo albedo unitur materiæ media quantitate. At nihil horum convenit unioni, quæ sit purum exercitium unendi; hæc enim potius est *immediatus et intimus contactus extremorum inter se, immediata affectio et unio formalis eorumdem*. Improbrie tamen et abusive dicitur *mediare*, quia loquimur, ut apprehendimus, et non apprehendimus unionem per species proprias, sed instar calcis aut bituminis mediantis; sicut angelum instar juvenis aligeri. Eadem ratione partes unitæ vocantur *extrema*» (1).

Tota hæc doctrina illustrari etiam potest actionis exemplo. Agens, saltem creatum, effectum producit aliquando immediate, aliquando mediate, *ut quod*, immediate nimirum, quando sine instrumento agit, mediate autem, quando per instrumentum operatur. Verum idem agens semper agit mediate *ut quo*, id est media sua actione, non enim est ipsum sua actio. Ita etiam oculus dicitur videre objectum immediate, *ut quod*, quia illum videt, non per reflexionem super alium terminum exercitam, sed in seipso; nihilominus idem objectum ab oculo dicitur attingi mediate, *ut quo*, neque enim apprehendi potest nisi mediante visione. Itaque quicumque in aliis rebus admittunt modos reales omnem

(1) Lossada, *Physic.* tr. 1, disp. 6, cap. 2, n. 2, 3.

operationem intellectus præcedentes, non est, cur abhorreat a modo unionis recipiendo.

Objic. 3.^o S. Thomas et Aristoteles (1) perpetuo docent materiam et formam seipsis immediate uniri. Ergo rejiciendum est quodlibet medium.

Resp. *dist. ant. et conseq.*, ut in præcedenti difficultate. Aquinatis interpretem aptiorem invenire nullum possumus ipso Aquinate. Dicit in 8.^o *Metaphysicor.* (2) non oportere actum et potentiam uniri per aliquod vinculum, sicut ea que sunt penitus diversa, neque proinde quærendam esse ullam causam facientem unum ea, quæ sunt composita ex materia et forma, nisi quod movet potentiam in actum. At idemmet S. Doctor alibi explicat (3), quid in eo loco ipse cum Philosopho improbare voluerit: *Dicendum, quod propter hanc objectionem* (petitam nimirum ex maxima diversitate inter animam et corpus) *Plato posuit, ut Gregorius Nysenus* (lib. 2 de Anima, c. 5) *narrat, quod anima est in corpore sicut motor in mobili, ut naula in navi, et non sicut formam in materia: unde dicebat, quod homo non est aliquid ex anima et corpore, sed quod homo est anima utens corpore; et propter hoc etiam quidam quæsierunt quædam media inter animam et corpus, ut spiritum corporalem, animam vegetabilem et sensibilem et lucem, quibus mediantibus anima rationalis corpori uniretur: quæ omnia absurda sunt secundum Philosophiam et improbata a Philosopho in 8.^o Metaphys.,* (tex. 1116), nimirum in loco, quem adversarii nobis opponunt. Ipse hujus testimonii contextus manifeste ostendit nihil commune habere modum, quem nos cum frequentissima Scholasticorum sententia defendimus, cum deliramentis, quæ Doctor Angelicus post Aristotelem explodenda sibi proposuit. Eandem doctrinam reperies a S. Thoma multis in locis traditam (4), ubi potissimum quærit, utrum anima immediate uniatu corpori. Et ubicumque media unionis excludit, illa

(1) Vide loca superius citata [Prop. 6.^a]; quibus facile est alia similia reperire.

(2) Lect. 5.^a

(3) 2.^a dist. 1, quest. 2, art. 4, ad 3.^{um}

(4) Vide 1 p., quest. 76, art. 6, 7; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 71; quest. de Anima, art. 9; quest. de Spirit. creat., art. 3 etc.

evidentissime intelligit in sensu cuiuspiam entitatis absolute interceptæ, prius in materia receptæ, quæ sit velut instrumentum ad unionem perficiendam, puta, alterius formæ substantialis imperfectioris (1), vel potentiarum animæ (2), vel phantasmatum (3), vel spiritus corporei (4), vel dispositionum accidentalium (5), vel etiam lucis (6).

Id quod suadetur non modo ex dissertissimis verbis S. Doctoris, sed etiam ex doctrina, quam in locis citatis aliisque similibus tradit. Etenim, 2) agens de anima humana, duplex eidem tribuit munus respectu corporis, formæ nimirum et motoris (7); et docet animam, ut forma est, immediate, ut vero motor, mediate uniri corpori, quia corpus suum administrat... et movet per suam potentiam et virtutem (8), vel per cognitionem et appetitum (9), vel quia mediante aliqua prima parte primo mota movet alias ad suas operationes; sed secundum quod dat esse corpori, immediate dat esse substantiale et specificum omnibus partibus corporis (10). Atqui hæc oppositio inter animam ut formam et motorem evidenter innuit in animæ informatione excludi media illa, quæ entitatem absolutam habeant, non vero modum, quem nos ponimus. 3) Id ipsemet S. Doctor declarat in ultimo loco; post verba enim nuper exscripta, sic pergit: *Et hoc est, quod a multis dicitur, quod anima unitur corpori ut forma sine medio, ut motor autem per medium* (11).

(1) Ita v. g. quest. de Anim., art. 9; et quest. de Spirit. creat., art. 3.

(2) *Contr. Gent.*, lib. 2, c. 71; quest. de Anim. ib.

(3) *Ibid.*

(4) 1 p., q. 76; *Contr. Gent.* loc. cit.; 2.^a dist. 1, quest. 2, art. 4 ad 3.^{um}; quest. de Anim. ib.

(5) 1 p., q. 76, art. 6.

(6) 1 p., quest. 76, art. 7 et aliis in locis citatis. Cfr. Ferrariensis, in lib. 2. *Cont. Gent.*, cap. 17.

(7) 1 p., quest. 76, art. 6, ad 3.^{um}; quest. de Anima, art. 9, in corp.; quest. de Malo, 16, art. 1, ad 5.^{um}; quest. de Spirit. creat., art. 3, in corp.

(8) 1 p., quest. 76, art. 6, ad 3.^{um}

(9) *De Spirit. creat.*, art. 3, ad 4.^{um}

(10) *De Anima*, l. c. Cfr. *de Spir. creat.* l. c.

(11) *Ibid.*

Ergo ex mente Aquinatis hoc est uniri animam corpori immediate, et ut formam, ut nimirum uniat sine mediis similibus illorum, quibus ad corpus movendum regendumque utitur, et per quæ si uniretur, non esset forma, sed tantummodo motor (1). γ Idem evincitur ex ratione, qua immediatam illam unionem passim confirmat, ex eo videlicet quod forma et materia se habeant ut actus et potentia, ideoque naturali gaudeant proportione atque aptitudine ad mutuam communicationem, nec sint duo entia in se completa. Atqui exinde recte quidem colligitur, nihil medium interesse posse *ut quod* et per modum ligaminis, quod utrumque extremum sibi vinciat, minime vero excluditur medium, quod se habeat *ut quo* et per modum exercitii atque ultimæ determinationis ad mutuam communicationem. Nam idem de causalitate hac formali per unionem dicendum esse videtur, quod de causalitate efficienti per actionem. Atqui proportio et aptitudo causæ efficientis ad agendum, etiamsi adsint omnia requisita in promptu, non tollit necessitatem actionis, quæ est modus et *medium*, quo effectus existit. Ergo eodem pacto ratiocinandum est de forma et materia.

Objic. 4.^o Si vera est nostra sententia, ponendæ sunt tres substantiales mutationes in unione materiæ ac formæ: prima principalis, qua fit ex ente in potentia ens in actu; et duæ minores, quibus materia fit de non substantive substans et forma de non informante informans, quæ terminentur ad duos actus modales, sustentationem scilicet et informationem, ex quibus unicus conflatur totalis modus unionis. Atqui unica posita reali mutatione, qua materia reducitur in actum formæ, secluso ulteriori modo, habemus compositum. Ergo.

Resp. *Transmitt. Major., disting. Min.* Et materia reduci in actum potest sine modo et medio *ut quo*, *neg.*; et materia exigit talem modum, ut præcise reducatur in actum formæ, *conc.* Semel ac habeatur materia per formam actuata, non est opus ulteriori modo, quis id dubitet? Sed quæstio est, utrum hæc actuatio ipsa formaliter consistat in modo. Qui

(1) In locis cit.

ergo nostram sententiam vult impugnare, nihil evincit impugnando modos imaginarios, quos non admittimus, illos nimirum, qui concipiuntur adjecti, postquam forma supponitur materiæ communicata in eaque recepta.

Transmissimus autem Majorem, quia controvertitur inter patronos hujus sententiæ, utrum mutatio quam implicat substantialis communicatio materiæ ac formæ, contineat duplicem modum unionis, unum ex parte formæ, alterum ex parte materiæ, quemadmodum statim dicemus.

Objic. 5.^o Materia et forma seipsis proportionantur in actu secundo, hæc enim proportio consistit in ratione primi subjecti et primi actus. Ergo non egent ullo unionis modo. Frustra enim contendimus quærere actum ipsius actus seu formæ, quæ ex se habet totam actualitatem, qua materia primo et immediate constituatur in actu.

Resp. *dist. ant.* Si proportio in actu secundo significet plenam aptitudinem recipiendi et informandi, in qua stat quidditas primi subjecti et primi actus, *conc.*; si significet exercitium illius aptitudinis, *neg.* (1).

Neg. conseq. Ad probation. dist. Frustra contendimus quærere actum ipsius actus seu formæ, per modum complementi in propria substantialitate, *conc.*; per modum exercitii, quo proprium substantialitatem materiæ communicat, *neg.* Non enim forma secum identificat unionis atque informationis actualitatem seu exercitium.

Objic. 6.^o Si materia et forma uniuntur media unione distincta, ipsa unio, quæ unitur etiam cum illis, alia egebit unione, et sic abibimus in infinitum.—Resp. *neg. assertum.* Eodem modo atque actio, per quam effectus fluit a causa efficiente, non indiget alia actione, per quam et ipsa procedat, sed omnino per seipsam immediate etiam *ut quo* efflorescit ab agente; ita etiam unionis ille modus, quem ponimus tanquam formale vinculum materiæ ac formæ, per seipsum, non vero alia secunda unione mediante, unitur illis. Et ratio est, quia modus ejusmodi, secus ac materia et forma, est essentialiter et formaliter ipsa unionis determinatio: unde non debet per aliud superadditum determinari ad uniendum.

(1) Cfr. Lossada ibi. cap. 2, n. 21.

§ IV.—RESOLVUNTUR QUÆDAM QUÆSTIONES UNIONEM
MATERIÆ CUM FORMA RESPICIENTES.

Quotplex
sit unio in
composito
substantiali.

170. Quæritur 1.^o *Quotplex sit unio in composito substantiali.* Et difficultas est de unione inter formam et materiam, quæ constituit ipsam corporis essentiam; nam quod unionem attinet, qua partes integrantes substantiæ corporeæ vincuntur efficiendo continuum verum ac reale, ut nunc supponimus, et inferius probandum est; alibi disputandum evit, num sit una, an vero multiplex. Re late itaque ad unionem materiæ cum forma, Mastrius (1) et Pontius (2) cum suo Magistro ac Duce Scoto cæterisque Scottistis, et e nostris Franciscus Soarez lusitanus (3), Hurtadus (4), Bartholomeus Amicus (5) et Rhodes (6), existimant duplicem dari unionem, alteram ex parte materiæ, alteram ex parte formæ. Communior tamen est sententia, unicam tantum ponens unionem ex utraque parte se tenentem: quam tuentur Complutenses (7), Suarez (8), Vazquez (9), Rubius (10), De Benedictis (11), Semery (12), Ulloa (13), Lossada (14), Antonius Mayr (15), Sylvester Mauri (16), et alii.

Prima sententia
duplicem
asserens
unionem;

altera
communior,
unam tantum
ponens unionem
materiæ inter
et formam.

eligitur.

Et hæc opinio mihi quoque probabilior videtur, quam sic probo communi argumento. Sufficit una unio. Ergo frustra duplex obruditur. Prob. antec. cum Joanne B. de Benedictis. «Aut enim duplex requiritur ad unendum, aut ad

- (1) *Physic. disp. 5, quæst. 10.*
- (2) *Physic. disp. 4, quæst. 3.*
- (3) *Physic. disp. 5, sect. 2, paragr. 1.*
- (4) *Physic. disp. 5, sect. 7.*
- (5) *Physic. tract. 10, dubit. 4, art. 2.*
- (6) *Philos. perip., lib. 2, disp. 1, quæst. 2, sect. 5, paragr. 3.*
- (7) *Physic. disp. 6, quæst. 3.*
- (8) *Metaph., disp. 13, sect. 9, n. 13.*
- (9) *In 1.^{am} part., disp. 188, n. 13.*
- (10) *Physicor., lib. 1, tract. 2, quæst. 6, a. n. 66.*
- (11) *Philos. perip., tom. 2, lib. 2, quæst. 3, cap. 4, paragr. 2.*
- (12) *Trienn. philos., tom. 2, disp. 2, quæst. 10, art. 5.*
- (13) *Physic. speculat., disp. 1, n. 191.*
- (14) *Physic., loc. cit., cap. 5.*
- (15) *Philos. perip., secund. pars, num. 63.*
- (16) *Question. philos. lib. 2, quæst. 10, ad 5.^{am}*

perficiendum utrumque extremum. Non hoc secundum; extrema enim physica se ipsis mutuo perficiuntur, neque indigent unione, ut perfectivo, sed ut mero exercitio mutue perfectibilitatis. Non primum; per illud enim intelligitur unita materia cum forma, et e contrario, per quod intelligitur ablata a partibus omnis indiferentia, quam per se habent, ut faciant, aut non faciant unum. Atqui hujus indiferentiæ ablatio unica unione præstat; posita enim unione materiæ ad formam, non potest forma eo ipso non esse unita materiæ, quia nihil potest intelligi unitum illi, quod sit realiter ab ipso divisum. Confirmatur. Omnis unio facit unum; ergo unio materiæ ad formam facit, ut materia et forma sint unum; quare alia unio superaddita actum agit, et est naturaliter saltem impossibilis (1).

171. *Objic. 1.^o* Si unica daretur unio inter materiam et formam, aut reciperetur in sola materia, aut in sola forma, aut in utraque. Atqui nihil horum recte dici potest. **Non primum,** tum quia non major est ratio, cur item non debeat recipi in forma, quæ non minus est per unionem perfectibilis; tum quia unio est vinculum duorum: ergo non est in uno ad aliud, sed in duobus: tum demum quia id videtur proprium unionis hypostaticæ, quæ quia Humanitatem Verbo conjungit incapaci formæ intrinsicæ receptæ, consequens est, ut in sola humanitate sit, ut in subjecto. Verbum vero respiciat ut merum terminum. At physica unio utrumque extremum respicit ut perfectibile. Ergo in utroque debet recipi. **Nec potest dici secundum:** tum quia non est ratio, cur non debeat unio recipi etiam in materia: tum quia forma hominis est intrinsece spiritualis, nec capax unionis materialis, qualis tamen esse debet unio, quæ efficienter procedit a seminali virtute materiali. **Non demum potest dici tertium:** primo quia, nulla entitas modalis potest esse intrinseca duplici modificato. Sic duplex quantitas non recipit unam figuram, nec duplex mobile unicum motum, nec duplex passum unicum actionem. Ergo nec duplex pars unicum unionem. Deinde est specialis difficultas in unione materiæ atque anime rationalis in homine: si enim una daretur inter illas

Quaedam
difficultates
soluæ.

(1) De Benedictis, loc. cit. Cfr. Suarez, loc. cit.

unio, vel esset materialis vel spiritualis. Si materialis, non posset recipi in anima; nec si spiritualis, in corpore vel materia. Ergo necesse est duplicem ponere unionem. Ita fere P. Georgius Rhodes (1).

Resp. conc. Major., eligendo primum membrum, quemadmodum in sequenti quaestione probabo.

Neg. Minor. quoad primum. Ad ejus primam probationem *resp., neg.* assertum, ut patebit ex dicendis in duabus sequentibus quaestionibus.

Ad secundam probationem *neg.* conseq. Quod enim aliquid sit vinculum duorum, non probat illud in utroque debere recipi, ut evidenter patet in unione hypostatica, quae vinculum est Humanitatis Christi Domini et Verbi, nec tamen recipitur nisi in Humanitate.

Ad tertiam probationem, *neg.* assertum. Nec enim necesse est, ut unio hypostatica et unio naturalis compositionis in eo distinguantur, ut illa solum in alterutro extremo subjectetur, ac recipiatur; sed quamvis in hoc conveniant, discrepant adhuc in duobus, quae superius notavimus (2).

Objic. 2.^o Datur connexio non mutua inter duo extrema, v. g. inter creaturam et Deum, scientiam et scibile, modum et rem. Atqui unio est connexio quaedam. Ergo non omnis unio est mutua; atque adeo non sufficit unica unio inter materiam et formam, sed duplex requiritur. *Resp. neg.* conseq. Quia «quam certum est dari connexionem non mutua, tam est certum repugnare in suis terminis unionem non mutua. Quare hoc unioni repugnat, non ex genere connexionis, sed ex propria ratione unionis, quae scilicet habet duo conjungere in aliquam totius unitatem. Profecto intelligi non potest materiam facere unum actu cum forma, atque esse cum illa in unitate naturae conjunctam, quin forma intelligatur facere unum cum materia» (3). Plura dabantur AA. laudati.

Quodnam
sit unio
subjectum.

172. *Quæritur 2.^o Quodnam sit ejusmodi unica unionis subjectum.* Dubium non est de subjecto denominationis,

- (1) Cfr. de Benedictis, loc. cit. *Objic. 2.^o*
(2) Num. 159. Cfr. De Benedictis, loc. cit.
(3) De Benedictis, loc. cit.

certum quippe est tam materiam, quam formam, esse subjectum denominationis, siquidem utraque denominatur unita; sed de subjecto sustentationis, ex quo præsupposito unio educatur. Resque in utramque partem controvertitur, quamvis fortasse communior est opinio illorum, qui solam materiam esse subjectum unionis, quod vocant sustentationis, formam vero esse terminum, qui intrinsece afficiatur, atque adeo etiam, ut quibusdam placet (1), subjectum informationis (2). Ita existimant inter alios Rubius (3), De Benedictis (4), Semery (5), Lossada et Mayr, et innuitur ab Eximio Doctore (6).

Et hæc opinio satis probabilis videtur, ac supposita identitate reali unionis cum generatione substantiali vel actione eductiva ipsius formæ substantialis, de qua in sequenti quaestione dicemus, planissime probari potest. Nam actio eductiva non pendet a forma substantiali, quæ terminus est illius, tamquam a subjecto sustentationis, alioquin forma esset causa materialis ad sui ipsius educationem. Ergo si unio formæ cum materia, quoad rem ipsam, identificatur cum educatione, omnino conficitur, subjectum illius sustentativum solam materiam esse. Qui autem unionem ab educatione distinguunt solent plerumque dicere «unionem produci per eandem educationem, qua forma producitur: unde cum forma non præsupponatur ad educationem sui, non præsupponitur ad educationem unionis, consequenter non est unionis causa materialis; quia nullus effectus a causa materiali pendet, nisi quatenus ejus educio pendet a tali causa, ut a subjecto præsupposito» (7).

Probatür præterea eadem opinio ex unione rationalis animæ cum corpore, ex qua desumi arguuntur poterit ad

Sola materia
videtur esse
subjectum
sustentationis.

(1) Vide v. g. Anton. Mayr, loc. nup. cit. n. 641, et Lossada (loc. cit. n. 16).

(2) Vide *Ontolog.* n. 273, pag. 797, ubi explicatur ratio subjecti informationis, ac discrimen ejus a subjecto sustentationis.

(3) *Physicor.*, lib. 1, tract. 2, de *Forma*, quæst. 6, a. n. 60.

(4) Loc. nup. cit.

(5) *Trienn. philos.*, t. 2, disp. 5, quæst. 2.

(6) *Metaph.*, disp. 13, sect. 9, n. 13.

(7) Lossada, loc. nup. cit. n. 9.

cujuslibet alterius formæ substantialis unionem. Illud enim est subjectum sustentativum unionis humanæ, a quo præsupposito pendet istius unioniseductio. Sed hæc a sola materia tamquam a præsupposito subjecto pendet. Ergo...

«Prob. Minor. tum quia in homineeductio unionis est generatio totius. At omnes Philosophi cum Aristotele statuunt solam materiam esse subjectum generationis totius sive compositi, sicut sola est subjectum mutationis substantialis. Tum etiam quia generans ab eo subjecto præsupposito pendet in generando sive in educendo, quod prævie disponit, ac præparat ad formam et unionem: hoc autem subjectum in generatione hominis sola materia est, non enim generans præviã aliquam dispositionem inducit in animam rationalem» (1).

Probatio hæc præscindit quidem a controversia illa circa identitatem vel distinctionemeductiois ab unione, sed supponit tamen id, quod alibi propriam sedem habet, unionem animæ rationalis cum materia a generante directe produci atque entitative materialem esse, utpote quæ suapte natura causatur, ac pendet a materia, quamvis simul dici possit connexive ac determinative spiritualis, quia nimirum connectitur cum anima spirituali, et illam ultimo determinat ad constituendum hominem (2).

173. Quæritur 3.^o et ultimo, *utrumeductio formæ materialis re distinguatur ab ejusdem unione cum materia*. Et sermo est de materiali forma, nam rationalis, utpote spiritualis, non educitur de potentia materiæ, sed creatur, ac proinde illius effectio realiter distinguenda est ab unione ipsa cum corpore. Affirmantem sententiam sequuntur PP. Georgius Rhodes (3), Petrus Hurtadus (4), Bartholomæus Amicus (5), Arriaga (6), Antonius Mayr (7), Soares

Utrum
eductio formæ
materialis
re distinguatur
ab ejusdem
unione cum
materia.
Sententiarum
varietas.

- (1) Lossada, loc. nup. cit. n. 10.
- (2) Lossada, ibid. n. 11.
- (3) *Philos. perip.* lib. 2, disp. 1, quæst. 1, sect. 5, paragr. 2.
- (4) *Physic. disp.* 5, sect. 2, n. 21.
- (5) *Physic. tract.* 11, quæst. 10, dubit. 2, art. 3, n. 9.
- (6) *Physic. disp.* 4, sect. 3, n. 77, 78.
- (7) *Philos. perip.* pars 2, disp. 1, quæst. 7, art. 3, n. 620.

lusitanus (1), alique fortasse communius. At vero unionem realiter ab actione educiva formæ negant distingui PP. Suarez (2), Rubius (3), Conimbricenses (4), De Benedictis (5), Lossada (6), itemque P. Bernaldus Quiros relate ad educationem passivam seu passionem (7), quam tamen realiter distinguit a passione (8). Controversia hæc mihi quidem difficillima et valde dubia videtur. Quam bene ante omnia oportet intelligere. Per efficientiam agentium, qua novum corpus generatur, nostro modo concipiendi tria hæc ordine contingunt: educitur forma nova de potentia materiæ unitur eidem formæ substantialiter, et ex hac unione substantiale compositum, corpus, existit. Actio illa, qua forma de potentia materiæ educitur, prout est ab agente, vocatur *eductio activa*, et prout dependet a materia, circa quam exercetur, dicitur *eductio passiva*, vel *sustentatio*, vel *passio*, vel *receptio formæ*. Convenit apud omnes educationem formæ concomitari unionem ejusdem cum materia, itemque posita unionem materiæ cum forma, non posse non existere compositum; verum acriter disputatur, utrum ispa passivaeductio formæ sit realiter unio ejusdem cum materia, de cujus potentia educitur. *Realiter*, inquam, nam ratione quidem distinguuntur unio eteductio; quia quamvis omniseductio passiva conjungatur cum unionem, potest tamen esse unio substantialis formæ absque educatione, ut patet 1.^o in unionem rationalis animæ cum corpore, forma enim spiritualis nequit produci per educationem, sed per creationem. 2.^o idem patet in forma materiali, quam Deus miraculose produceret absque materiæ concursu, eidemque uniret. Et propterea dicunt, sicut productio potest esse vel

Status
questionis
deklaratur.

- (1) *Physic. tract.* 1, disp. 5, sect. 1 paragr. 5.
- (2) *Metaphys. disp.* 13, sect. 9, num. 10 et 11.
- (3) *De Generat. et Corrupt.* lib. 1, cap. 3 et 4, tract. 1, quæst. 3, num. 39.
- (4) *De Generat. Corrupt.* lib. 1, cap. 4, quæst. 15, art. 2, 4.^a assertio.
- (5) *Philos. perip.* t. 2, lib. 2, quæst. 3, cap. 4, paragr. 3.
- (6) *Op. cit. Physic. tract.* 1, disp. 6, cap. 3.
- (7) *Curs. Philos., Physicor.* disp. 48, sect. 2 fin. n. 12. et disp. 61, sect. 6.
- (8) *Ibid.* disp. 61, sect. 4.

per creationem vel educationem, ita etiam unionem formæ cum materia accidere posse sive cum educatione, ut fit semper in materialibus formis, nisi miraculum intercedat, sive cum creatione, ut pariter semper evenit in forma rationali. Dubitatur ergo utrum unio formæ materialis eductæ de potentia materiæ sit revera unum idemque cum ipsa educatione passiva formæ, an potius modus distinctus et productus simul cum forma per actionem educivam. Prima sententia ex duabus relatis dicit esse modum distinctum, ac proinde in generatione substantiali corporis agnoscit duos modos, alterum qui sit passio vel eductio formæ, alterum ejusdem unio; et sic eductio non est *formaliter ipsa unio*, sed tantum *efficienter*, seu est *unitio* vel actio, cujus terminus formalis est unio formæ cum materia. Unde etiam consequenter docent solam sustentationem esse causalitatem materiæ respectu formæ; unionem autem esse causalitatem materiæ simul ac formæ respectu compositi. Secunda sententia e converso affirmat passivam educationem formæ re identificari cum ejusdem unione, atque adeo esse formaliter, non efficienter, unionem. Cumque cæteroquin passionem ab actione re nullatenus distinguant, in generatione substantiali unicum distinguunt modum, qui prout consideratur relate ad causam efficientem vocetur eductio activa, et relate ad subjectum a quo sustentatur, passio vel eductio passiva, relate demum ad terminum eductum et unitum, appelletur unio: quare causalitatem materiæ respectu formæ esse sustentationem vel unionem.

174. Pro secunda sententia hæc omnium fortissima, mea quidem opinione, argumenta afferuntur: a) passiva eductio seipsa constituit formam actualiter in materia receptam, siquidem passio est receptio proprie et stricte talis, ut ipsimet adversarii concedunt. Ergo seipsa constituit formam actualiter materiæ unitam, ac proinde seipsa est unio.

Antecedens probatur. Per illud forma unitur formaliter et non tantum efficienter, quo posito, quin aliud superaddi concipiatur, forma intelligitur in materia. Atqui posita educatione passiva, quin aliud superaddatur, forma necessario intelligitur in materia. Ergo stat antecedens.—**Prob. etiam**

Secundæ
sententiæ
argumentum
primum.

consequens. Nequit intelligi forma recepta in materia, quin tribuat eidem suum effectum formalem. Etenim non potest intelligi forma recepta, quin intelligatur communicata materiæ, ut patere videtur ex ipsis terminis; forma autem subiecto capaci communicata, eo ipso tribuit suum effectum formalem. Atqui forma non tribuit suum formalem effectum, nisi prout est unita materiæ. Ergo nequit intelligi forma recepta in materia, quin intelligatur unita: quare si eductio pasiva per seipsam formaliter reddit formam actualiter in materia receptam, reddit etiam actualiter unitam.

Præterea forma recepta in materia, præciso quovis alio diverso modo unionis, excludit privationem sui: secus enim materia esset simul habens formam et privata forma, quod contradictionem implicat. Atqui forma non nisi informando, suumque effectum formalem tribuendo, privationem sui a subiecto excludit. Ergo (1).

Communis responsio, qua contrariæ opinionis assertores vim hujus argumenti enervare conantur, negat formam recipi vel esse in materia *formaliter* per hoc, quod educatur de potentia materiæ, sed tantum *efficienter* vel radicaliter vel etiam concomitanter; quia nempe ratione passivæ educationis adest etiam infallibiliter receptio, atque adeo unio formæ. Eductio enim passiva, inquit, cum sit fieri formæ simul et unionis, non est id, quo formaliter unitur forma materiæ, sed id, quo fit ipsa unio formalis (2). Sicut ergo decretum Dei volentis extrema unici, ea non unit formaliter, sed radicaliter, ita nec eductio est formalis unio, seu non formaliter unit; nec proinde reddit materiam formaliter subiectum informationis, sed tantum sustentationis (3).

β) Eductio passiva cum sit passio seu receptio, alicujus rei est receptio formalis. Atqui videtur nullius alterius rei posse esse formalis receptio, nisi ipsius formæ. Nam eductio activa est realiter idem, ac eductio passiva. Ergo per educationem passivam illud formaliter recipitur in materia, quod

cuiusque
communis
responsio;

argumentum
secundum.

(1) Vide Lossada (loc. cit. cap. 3, n. 34 et seqq.). Cfr. De Benedictis (loc. cit.).

(2) Vide Rhodes, loc. cit. in resp. ad *Object. 1.^{am}*

(3) Cfr. Mayr, loc. cit., n. 625.

per activam eductionem de materiæ potentia formaliter educitur. Atqui activa eductio est formalis eductio formæ. Ergo...

responsio:

Respondet Mayr eductionem esse formaliter receptionem seu unionem suipsius, non vero receptionem formæ per illam productæ.—Verum fateor, hæc responsio mihi captu difficilissima accidit, ac penitus contraria videtur notioni actionis ac passionis, quam cum communissima sententia exposuimus in *Ontologia*.

argumentum
tercium,

γ) Propria dependentia formæ a materiali causa intrinsece et essentialiter includit unionem ita, ut neque fieri neque intelligi possit, quin illam intime includat. Atqui passiva eductio est ipsa dependentia formæ a materia. Ergo intrinsece et essentialiter includit unionem (1).

responsio.

Respondent adversarii distinguendo dependentiam formæ a materia, tamquam a subjecto sustentationis, et tamquam a subjecto informationis. Subjectum sustentationis dicunt esse illud, in quo recipitur actio generativa seu eductio; subjectum vero informationis dicunt esse illud, quod ab altero perficitur. Jam materia quidem perficitur a forma, verum non per eductionem, sed per unionem, itemque munus subjecti sustentationis exercet per eductionem, munus vero subjecti informationis, per unionem. Si ergo eductio non est exercitium subjecti informationis; neque erit formalis unio, sed tantum radicalis aut illativa, quatenus naturaliter connectitur cum unione, illamve infert (2). Sola itaque dependentia formæ a materia tamquam a subjecto informationis includit intrinsece et essentialiter unionem, non autem dependentia tamquam a subjecto sustentationis seu eductio.

Porro munera ista subjecti informationis et sustentationis separari possunt, ut constat in materia respectu rationalis animæ, nam materia est quidem subjectum informationis respectu illius, at nullatenus subjectum sustentationis. Atque adeo unio etiam et eductio distingui realiter dicendæ sunt, quia, potest prima esse sine secunda (3). Verum hoc ultimum

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., n. 11.

(2) Vide Mayr (loc. cit., n. 628, in resp. ad *Confirm.*). Cfr. Lossada (loc. cit., n. 8).

(3) Cfr. Rhodes, (loc. cit., *Secunda ratio*).

nihil probat, quia ex eo quod non omnis unio formæ sit eductio, non sequitur vicissim, quod eductio formæ non sit unio; sicut ex eo quod non omne animal sit rationale, non sequitur quod rationale non sit realiter idem cum animali. Quod autem primam partem responsionis atinet, nescio annon satis præoccupata maneat per priores probationes. Sane si eductio est receptio formæ, videtur etiam eo ipso esse unio (1).

175. Pro prima sententia distinguente unionem ab eductione formæ, hæc præcipue argumenta proponuntur. 2) Eductio et unio habent munera et prædicata diversa; nam eductio est productio formæ ac dependentia ejus a causa efficiente et a materiali, unio vero est purus nexus extremorum, et ultima determinatio, ut constituat unum. Ergo sunt duo modi distincti, sicut ob similem rationem distinguuntur actio et ubicatio vel duratio.

Prioris
sententiæ
argumentum
primum,

Respondent adversarii *negando* conseq. Nam unus idemque modus potest varia obire munera, sicut cernere est in ipsa eductione, quæ gerit munera actionis et passionis. Neque vero est paritas inter actionem vel ubicationem durationemve, hæc namque re distinguuntur, non præcise quia munera obeunt diversa, sed quia separabiles invicem illas esse ipsa experientia novimus (2).

responsio:

β) Eductio est prior forma, cum sit via ad illam, unio autem est posterior forma, quia est ultima formalis determinatio formæ jam existentis ad constituendum unum cum materia, et causalitas, qua forma causat compositum. Atqui unum idemque nequit esse simul prius et posterius respectu ejusdem. Ergo.

argumentum
secundum,

Verum eductio, ut adversarii respondet, «non est prior prioritare aliqua proprie tali, quam vocant *in quo*, vi cujus intelligi possit eductio in aliquo signo, in quo nondum intelligatur forma producta; repugnat enim intelligi ultimam determinationem, ut forma sit producta, et tamen nondum productam esse formam. Solum ergo competit eductioni respectu formæ prioritas impropria, quam vocant

responsio:

(1) Plura vide, si lubet, apud Lossada.

(2) Vide Lossada, loc. cit. n. 2, 3.

pure a quo (1), et quæ non prohibet utramque existere et intelligi in eodem signo» Negant pariter «quod unio sit physice posterior forma, quin obstat titulus ultimæ determinationis causalitatis, aut exercitii causæ formalis. Causalitas et exercitium causæ efficientis, debet quidem esse ipsa posterior, quia ab ea physice oritur; at a causa formali non oritur ejus causalitas, aut exercitium, siquidem unio, etiam juxta adversarios, producitur a generante vel a solo Deo. Ad summum ergo habet unio respectu formæ posterioritatem logicam, quam vocant «in subsistendi consequentia; quatenus forma potest existere sine unione, non e converso. Cæterum hoc sensu etiam eductio determinata posterior est forma.»

Dices. Eductio est causalitas, per quam forma causatur; unio autem est causalitas, per quam forma causat compositum: nequit autem forma causare per eandem causalitatem, per quam ipsa causatur». — Negatur hoc ultimum, quando sermo est de diverso genere causæ, ut in præsentii: cum enim causalitas formæ, ut causæ formalis, non oriatur a forma, potest sine incommodo esse causalitas, per quam forma oritur a causa efficiente (2).

argumentum
tertium,

γ) Probabilius et sensui communi doctorum et indoctorum conformius est, quod compositum naturale idem sit, sive a solo Deo producat absque ullo concursu, vel efficienti vel materiali, causarum naturalium, creando videlicet formam, sive mediis hisce forma educatur de potentia materiæ. Atqui supposita identitate eductionis cum unione, compositum ex eadem materia et forma specificè variari potest, prout a solo Deo vel mediis causis secundis efficitur. Etenim unio materiæ ac formæ spectat ad essentiam compositi. Ergo ubi unio diversa est, etiamsi materia et forma sint eadem, compositum varietur, oportet. Atqui unio, quæ identificetur cum eductione, atque adeo cum concursu naturalium causarum efficitur, diversa est ab unione, quæ non identificetur cum eductione, sed a solo Deo efficitur

(1) De hisce prioritatibus in quo et a quo deque signis prioris ac posterioris, vide *Ontolog.* n. 176, pag. 511 et 514.

(2) Lossada, loc. cit., cap. 4, num. 4 et 5.

creando formam. Ergo (1).... Præterea ex eadem doctrina sequi videtur compositum, quod generatione transacta conservatur, non esse idem ac ipsum compositum, dum generatur. Nam dum generatur actio, qua forma educitur, atque unitur, est a Deo simul cum causa efficiente creata, verum dum conservatur, solum est a Deo (2).

Verum prioris sententiæ patroni *negant* Minorem; ad cujus probationem communiter respondent, *negando* conclusionem, et quidam etiam *negant* antecedens. Non enim desunt, qui dicant ad essentiam compositi, numero et specie determinati, non pertinere determinatam unionem, sed aliquam tantum indeterminate, cujuscumque indolis sit, dummodo sit vera unio physica et substantialis, ac proinde licet varietur unio cum eductione nullo modo variari essentiam compositi, quamdiu permanent eadem materia et forma per unionem aliquam copulatæ (3). Quam doctrinam approbat etiam Soares lusitanus, et propterea rejicit ut inefficax istud argumentum (4): eandemque late firmat P. Henao (5) ratione et auctoritate plurimorum; quamvis uterque scriptor distinctionem unionis ab eductione tueatur.

Quidquid tamen de hoc sit, sola unione variata ob identitatem illius cum eductione non varietur compositum simpliciter et absolute, sed tantum secundum quid. «Manent enim, inquit Lossada, invariata præcipua constitutiva, sive partes componentes *ut quod*; ex quibus absolute sumitur compositi perfectio, indoles et identitas, tum specifica tum numerica, et ex quibus pendet varietas operationum et proprietatum, sive accidentium compositi, necnon varietas aut identitas definitionis, tum physicæ tum metaphysicæ; non enim aliter definiretur Petrus, v. g., si retinens idem corpus eandemque animam, nunc haberet unionem A, nunc unionem B. Hinc P. Suarez (6), docet cum D. Thoma, ut vere ac

responsio:

(1) Vide Mayr, loc. cit., n. 620. Cfr. Lossada, loc. cit., cap. 4, n. 12.

(2) Rhodes, loc. cit. *Ratio conclusion. primi.*

(3) Lossada, loc. cit., cap. 4, n. 13.

(4) Loc. cit., *Quarto rejicitur*, n. 370.

(5) *Empyreolog.*, exercit. 7, n. 72.

(6) Tom. 2 in 3.^{ta} part., disp. 44, sect. 2.